Universitätsbibliothek Paderborn

R.P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, De Oratione Mentali Et Mysteriorvm Vitae D.N. Iesv Christi & benedictae Matris eius meditatione

Arias, Francisco

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XIII. Quomodo in sancto hoc exercitio animam ad perfectionu[m] diuinarum considerationem attollere debeamus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-48934

Visual Library

Cap. XIII.

Quomodo in ſancto hoc exercitio animum ad perfectionum diuinarum conſiderationem attollere debeamus.

PAR eſt, vt dixi, à myſteriorum vitæ, ac Paſſionis Dominicæ meditatione intellectum ad diuinitatis eius contemplationem attollere. Inprimis, quia vti diximus, hic primarius eſt finis ad quem horum myſteriorum conſideratio inſtituta eſt, nempe ad maiori cum claritate diuinitatem Dei cognoſcendam, perfectiusq; illam amandam aſcendere. Neque enim amare bonum poſſumus, niſi cognoſcamus: quò autem melius cognoſcimus, eò magis, quantũ eſt ex parte cognitionis, ad ipſum amandum mouemur. cùm verò omne bonũ noſtrum, & omnis vitæ Chriſtianæ perfectio in diuina natura amanda conſiſtat, imprimis in eiuſdem conſiderationem incumbamus neceſſe eſt, ad melius

Ab humanitate Chriſti ad diuinitatem aſcẽdimus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

melius eam cognoſcendam, ac per-
fectius amandam. ad hoc horum
humanitatis Ieſu Chriſti myſterio-
rum, in quibus diuinitatis perfe-
ctiones adeò relucēt, meditatione
maximè deducimur. Nam etſi in o-
mnibus creaturis, quò naturalia Dei
ſint opera, diuinitatis ipſius condi-
toris veſtigium & imago apparent,
& per illas ad perfectionum diuina-
rum cognitionem, quę naturali quo-
dem lumine cognoſci queunt, aſcen-
dere valeamus, & pręſertim per ani-
mam hominis, quæ non modò figura
& nota, ſed & imago licet imperfe-
cta, diuinitatis eſt; multò tamen me-
lius & altiùs in diuinarum perfe-
ctionum notitiā per ſupernaturalia
Dei opera & effectꝰ gratiæ & gloriæ,
quam hominibus ſimul & angelis
communicat, venitur. & imprimis
per id quod in ſacratiſſima illa hu-
manitate, quam Dei Filius aſſum-
pſit, operatus eſt, ac per myſteria
vitæ ac Paſſionis eius. Hic enim in-
comparabiliter magis quàm in re-
liqua vita infinita Dei bonitas, im-
menſa

Perfectiones enim Dei in humanitate Chriſti maximè relucent.

2. *Cor.* 4. *D. Ambr. lib* 4 *ho. in cap.* 4. *Lucæ.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

menſa eius liberalitas, pietas, miſericordia, caritas, amor, incomprehenſibilis ſapientia, infinita potentia, & ſumma iuſtitia elucent. Multum quidem bonitas, liberalitas, caritas apparent in eo quòd omnibus creaturis eſſe, ac virtutē, animalibus vitā, animab⁹ humanis & angelis immortalitatē, intellectū, liberū arbitrium, & diuinitatem ſuam videndi, gloriaque fruendi capacitatem contulerit: multò verò magis in eo quod ſacratiſſimæ huic humanitati infinitum diuinæ perſonæ ſuæ eſſe dederit, præter alia gratiæ & gloriæ immenſæ, quam illi communicauit, dona. Quantum orbes cœleſtes magnitudine granum ſinapi, quod in terra eſt, excedunt, tantum & multo magis, quod bonitatis ſuæ ſignum dedit Deus in ijs, quæ in ſacra hac Filij humanitate & per hanc operatus eſt, excedit reliqua quæ eiuſdem ſigna dedit. Atque ita Incarnationis opus hoc digniſſimum eſt eo, qui Deus eſt: nam præcipuum quod ab homine petit Deus, eſt, ab illo ama-

Bonitas.

Amor.

amari: vt autem ametur, nihil potuit eſſe cõuenientius, quammodo tam ineffabili bonitatem & amorem ſuum nobis declaraſſe.

Potentia. Potencia Dei multum quidem elucet, quod cœlum terramque è nihilo condiderit: verum quantum ad operis naturam, multo reſplendet clarius, in eo quòd duas res tam diſtinctas, quales ſunt diuina, & humana natura, in vna perſona combinarit; & quod per res in oculis mundi viles, quales ſunt ignominia Paſſionis, tormentum ac mors crucis, peccatum & mortem vicerit, mundum conuerterit, ſanctificarit, beatificaritque animas. nam eſſe naturale quod mundo (ipſum è nihilo cõdendo) dedit nullius omninò valoris eſt, reſpectu eſſe ſupernaturalis, quod animabus, ipſas iuſtificando & beatas reddendo, concedit.

D. Thom. 1.2.q.113. art.9. *Sapientia & reliquę.* Idem eſt de ſapientia, miſericordia, iuſtitia & reliquis Dei attributis ſentiendũ, quæ vti diximus, in hiſce myſterijs vitæ & Paſſionis Christi magis, quàm in reliquis Dei operi-

bus

bus reſplendent. Hinc bene dicimus, horum myſteriorum adminiculo, ad perfectionum diuinarum conſiderationem nos poſſe aſcendere.

Cap. XIV.

Alia ratio, quæ ad perfectionum diuinarum conſiderationem ſacris hiſce myſterijs iungendam inuitat.

NON ſolum (ob rationes, quas diximus) ipſa diuinitatis conſideratio, cum humanitatis iungenda, ab operibus ſcilicet humanitatis ad perfectiones diuinitatis aſcendendo; verum & cõtra contemplationi diuinitatis adnectenda humanitatis: nempe, à diuinitatis ac perfectionum diuinarũ conſideratione ad ſacram humanitatem deſcendendo, vt ſummè, & digniſſimè de myſterijs, quæ per eam Deus operatus eſt, ſentiamus, & veriorem ex illis fructum eliciamus. Omnia enim opera, verba, dolores Chriſti Domini, ſublimiora & mira-

A diuinitatis Chriſti conſideratione, deſcendendum ad humanitatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN